

Oracle de la Sibylle (d'Erythrée) – Adaptation en latin médiéval

- I** Iudicii signum, tellus sudore madescet.
E caelo Rex adveniet per saecula futurus.
Scilicet in carne praesens ut iudicet orbem.
Unde Deum cernet, incredulus atque fidelis
Celsum cum sanctis, aevi iam termino in ipso.
Sic animae cum carne aderunt, quas iudicat ipsae.
- Ch** Cum iacet incultus densis in vepribus orbis.
Rejicient simulacra viri, cunctam quoque gazam.
Exuret terras ignis, pontumque, polumque
Inquirens tetri portas effringet¹ Averni.
Sanctorum sed enim cunctae lux libera carni
Tradetur ; sontes aeternaque² flamma cremabit.
Occultos actus retegens, tunc quisque loquetur
Secreta, atque Deus reserabit pectora luci.
- T** Tunc erit et luctus, stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis iubar, et chorus interit astris.
Volvetur caelum ; lunaris splendor obibit.
Dejiciet colles, valles extollet ab imo ;
- U** Non erit in rebus hominum sublime vel altum.
Iam aequantur campis montes et caerulea³ ponti
Omnia cessabunt ; tellus confracta peribit ;
Sic pariter fontes torrentur fluminaque igni.
- S** Sed tuba tunc sonitum tristem dimittet ab alto
Orbe, gemens facinus miserum variosque labores
Tartarumque chaos monstrabit terra dehiscens
Et coram hic Domino reges sistentur ad unum.
Recidet caelis⁴ ignisque et sulfuris amnis.

D'après

MIGNE, PL 42, 1126
DAKL XII, 2, 2235

Variantes :

- 1 exuret
- 2 aeternum
- 3 caerulea
- 4 E caelis